



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quid sit matrimonium, in quantum contractus, & in quantum est
Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

61., solum Papam, tamquam supremum spiritualem Judicem, posse in sponsalibus ex gravi causa dispensare, non vero Episcopum; eo quod per sponsalia jus Tertio acquisitum sit:

Qua de causa negant communiter Doctores, quod possit Episcopus relaxare juramentum in præjudicium Tertii. Atque hæc de sponsalibus.

Q U Æ S T I O III.

De Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Indissolubilitate, & Unitate.

Matrimonium dictum est, ut ait Glossa, a Matre, quia mulier nubit, ut mater fiat, & est quasi Matræ munus, seu munus, cum per illud imponatur feminae munus generandæ, & educandæ prolis. Potius a matre appellatur, quam a Patre, quia illa certior est in generatione; unde etiam proles ex matre contrahit conditionem servi, vel liberi. Alii Matrimonium interpretantur, quasi matrem muniens, quia uxor per matrimonium acquirit virum, a quo defendatur, & muniatur.

Matrimonium alio nomine appellari solet connubium, Conjugium, Nuptia. Dicitur connubium, & Nuptia a nubendo, vel velando, aut quia mulier ex antiquissima consuetudine velo, quasi nube operiebatur, ut se viro inferiori, & subditam ostenderet; aut quia ob novam caeremoniam Ecclesia velamine quodam teguntur conjuges, quando ab Ecclesia benedictionem accipiunt. Dicitur vero Conjugium, quia est conjunctio duorum, qui sub eodem jugo societatis perpetuo copulantur, ita ut efficiantur una caro. Examinabimus hic primo, Quid sit matrimonium, inquantum est contractus, & inquantum est Sacramentum: Secundo ejus institutionem: Tertio indissolubilitatem, & unitatem.

ARTICULUS I.

Quid sit Matrimonium, inquantum contractus, & inquantum est Sacramentum?

- I. Matrimonium, inquantum est contractus, est causa efficiens matrimonii sumpti pro vinculo indissolubili, seu pro mutuo jure conjugum.
- II. Matrimonium formaliter sumptum non est mutuus consensus conjugum, sed est vinculum, quod ex eo causatur.
- III. Potest hujusmodi vinculum dari di-

vinis sine consensu conjugum.

- IV. Non est Sacramentum Matrimonium sumptum formaliter pro vinculo, sed sumptum causaliter pro contractu.
- V. Si conjuges Religionem ingrediantur, remanet vinculum, seu dominium mutuum in corpora, sed impeditur.
- VI. Beatissima Virginis cum D. Josepho Matrimonium qua ratione consistere poterat cum utriusque voto Virginitatis?
- VII. Quanam sit Matrimonii definitio?
- VIII. Quodnam Matrimonium de facto sit Sacramentum? Ecclesia materiam

riam, & formam huius Sacramenti a Christo Domino institutam immutare non potest: Solum mutare potest leges contractus.

- IX. Inter Baptizatos consistere nequit Matrimonium, quin sit Sacramentum. At quid si velint contrahere, non tamen Sacramentum suscipere?*
- X. Matrimonium per Procuratorem celebratum est verum Sacramentum, quod a Principali, non a Procuratore suscipitur. Illud tamen laudabiliter in presentia conjugum renovatur.*
- XI. Sacramentum Matrimonii qua ratione dicatur unum numero in duobus; & an illud sit in solo Baptizato, quando hic contrahit cum Infideli?*
- XII. Si duo conjuges Infideles baptizantur, ratificando contractum matrimoniale, suscipiunt Sacramentum matrimonii, quin debeant ipsam coram Parocho, & Testibus ratificare.*
- XIII. Huius Sacramenti Minister non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. Materia vero, & forma non sunt corpora conjugum, sed materia est utriusque consensus, qui, quatenus importat mutuam corporum traditionem, habet rationem materiae, quatenus vero importat mutuam acceptionem, habet rationem formae.*

I. **Q**ueritur primo; Quotupliciter sumatur Matrimonium? Respondeo, matrimonium dupliciter sumi; Primo pro ipso contractu, quo sponsi tradunt sibi mutuo corporis dominium; Secundo pro ipso vinculo, seu mutuo jure, & dominio corporum, quod ex tali contractu inter conjuges nascitur. Matrimonium primo modo sumptum, seu in quantum est contractus, est causa

matrimonii sumpti secundo modo, seu in quantum est vinculum; ut constat ex Florent. in Epistolis Eugenii; ubi dicitur, *Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de presenti expressus*; Unde fit, quod contractus matrimonii causat vinculum; etenim ex Apóst. 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir: similiter etiam & Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* In hac itaque mutua potestate, seu dominio habetur vinculum causatum a contractu matrimoniali.

II. Queritur secundo; In quonam consistat essentia matrimonii?

Respondeo, Matrimonium formaliter sumptum non consistere in contractu, sed in dicto vinculo, seu mutuo dominio corporum, cui respondet mutua obligatio reddendi debitum: Sicut enim in professione Religiosa contractus causat vinculum, seu statum Religiosi permanentem, per quem aliquis constituitur formaliter Religiosus; Et sicut Electio, verbi gratia, Pontificis, aut Imperatoris causat potestatem permanentem Electi erga subditos; in qua formaliter consistit dignitas Pontificia, aut Imperatoria: ita pariter contractus matrimonialis causat vinculum illud, seu mutuum jus in corpora, in quo formaliter consistit matrimonium.

III. Hinc sequitur, quod sine consensu conjugum, & sine contractu possit divinitus dari verum matrimonium; si scilicet Deus daret Petro, & Bertæ mutuum jus in corpora: Sicuti potest Deus Pontificem constituere sine ulla electione Cardinalium, dando alicui immediate potestatem Pontificiam, ut norant Con., Henr., Perez disp. 14. sect. 6. contra Sanch. & alios.

IV. Oppones primo; Matrimonium est Sacramentum, atque adeo signum sensibile, & physicum; ergo non

non potest constitui per dictum vinculum, quod est aliquid morale.

Respondeo cum Perez disp. 30. sect. 1., matrimonium formaliter sumptum non esse Sacramentum, sed solum causaliter sumptum matrimonium esse Sacramentum constitutum per consensum mutuum exterius expressum, qui a Florent. dicitur esse causa efficiens matrimonii. Ratio est primo, quia inter Sacramenta novæ legis sola Eucharistia est Sacramentum permanens juxta omnes Theologos; Matrimonium autem formaliter sumptum, cum sit quid indissolubile, est pariter permanens: ergo Matrimonium formaliter sumptum non est Sacramentum, & consequenter solum Matrimonium causaliter sumptum est Sacramentum transiens. Secundo, quia ex Florentino in literis Eugenii, Omne Sacramentum est institutum, ut suo usu ex opere operato suo modo sanctificet; atqui usus matrimonii sumpti pro vinculo, id est usus conjugii, non sanctificat ex opere operato, sed solum sanctificat usus matrimonii sumpti pro contractu; dum enim conjuges contrahunt, suscipiunt gratiam Sacramentalem matrimonii; ergo solum matrimonium sumptum causaliter pro contractu est Sacramentum.

V. Oppones secundo. Potest contingere, quod, perseverante matrimonio, non perseveret in utroque conjugum obligatio reddendi debitum; ergo falsum est, quod matrimonium consistat in illo vinculo, seu mutuo dominio corporum, & ei correspondente obligatione. Antecedens patet, quia si conjuges mutuo consensu profiteantur in Religione, perseverat quidem matrimonium, sed non tenentur, nec possunt licite reddere debitum.

Respondeo cum Con. negando consequentiam; In casu enim in argumento adducto, cum perseveret

matrimonium, perseverat etiam vinculum, seu dominium mutuum corporum, quanvis impeditum, ita ut non valeat exire in actum: Sicuti si quis omnem operam sui mancipii alteri elocasset, perseveraret dominium erga mancipium, sed dominium esset impeditum; unde non posset Dominus, invito Conductore, aliquid opus tali servo imperare, nec ille teneretur obedire. Præterea sicut in Societate Jesu cum voto simplici paupertatis post biennium emisso stat verum dominium bonorum, impedito eorum usu in perpetuum per tale votum; ita in casu adducto Conjuges habent verum dominium mutuum corporum, impedito tamen usu conjugali in perpetuum per vota religionis. Quod ex eo constat, quia si Pontifex dispensaret in votis Religionis, sine novo contractu, illi remanerent conjuges, ut prius: Unde fit, quod si absque dispensatione in votis copularentur inter se, talis copula non esset fornicaria, (quia non esset accessus ad non suam) sed solum esset sacrilega.

VI. Ex quibus aperte colligitur, Matrimonium Beatissimæ Virginis fuisse verum, & legitimum matrimonium ratum, ita ut Angelus dicere potuerit Josepho: *Noti timere accipere Mariam conjugem tuam*; quamvis communiter Doctores cum August. lib. de Virginit. cap. 4. doceant, Beatissimam Virginem ante Annunciationem emisisse votum virginitatis; unde dixit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, non possum cognoscere virum propter votum: Et forte etiam D. Joseph idem votum emiserat, ut multi censent. Uterque itaque consentit in matrimonium cum contractu subinferto obligandi se ad non petendum debitum, & sub conditione servandæ virginitatis; Unde habuerunt solum obligationem

nem radicalem ad copulam, quæ obligatio, seu vinculum & matrimonium constituit, & stare potuit cum voto virginitatis, & cum odio positivo copulæ; non enim ad illam proxime obligabantur, nisi in eventu, quod Deus dispensaret in voto emisso, & ipsi sponte contractum illum subinfertum rescinderent.

Neque dicas: Matrimonium, ut notat Lessi, non consistit in mutuo dominio conjugum; cum conjuges non sint invicem servi, sed in jure utendi corpore conjugis solum in ordine ad opus conjugii: ergo si matrimonium Beatæ Virginis contractum fuit sub conditione, ut neuter utatur corpore alterius, per tale matrimonium uterque habuit jus, ne sibi tamquam debitus petatur usus corporis: ergo neuter habebat jus ad usum corporis alterius; unde non habebatur verum matrimonium consistens in tali jure.

Nam, ut diximus, neuter habebat jus proximum, sed uterque habebat jus radicale, & remotum, in quo consistit essentia matrimonii. Quod ex eo patet; quia vi talis matrimonii neuter conjux poterat cum altero nubere, & si cum altero commisceretur, adulterium committeret; Quod dici non posset, si matrimonium esset nullum; aut si matrimonium non consisteret in solo mutuo dominio radicali corporum. Id autem hoc exemplo illustratur; Si tu des domum Titio sub conditione, quod non violat votum, quod habet non habitandi in illa, certe Titius est dominus domus, quamvis non habeat jus proximum habitandi in illa; unde si habitaret, violando votum, peccaret tum contra votum, tum etiam contra justitiam; quia tamen posita dispensatione talis voti, vere haberet jus proximum habitandi in ea domo, eo quod in tali casu non habitaret cum violatione voti, idcirco ante dispen-

sationem voti habebat solum jus remotum habitandi in ea; quod satis erat, ut diceretur dominus domus, possetque illam alienare, vendere, donare, & ad omnes alios usus de ea disponere. Idem dicas in casu nostro; etenim tam Beata Virgo, quam D. Joseph dederunt invicem dominium corporum sub conditione servandi votum de non usu; unde uterque habuit dominium radicale in corpore alterius, in quo consistit matrimonium.

Gratian. apud Lessi. docet, Beatam Virginem consensisse in obligationem ad reddendum debitum, petente D. Josepho; sed quia ex Divina revelatione sciebat D. Josephum nunquam petiturum, idcirco castissima Virgo voti sui secura, volente, ac precipiente Deo, consensit in conjugium, & in obligationem illam. Hæc tamen sententia communiter rejicitur, quia quoties aliquid est prohibitum, tam peccat, qui illud ponit, quam qui consentit in obligationem ad ponendum illud; etiam si certo sciat, quod nunquam sit futura occasio illud ponendi; Exempli gratia, tam peccat, qui occidit hostem, quam qui vult se obligare ad illum occidendum, si occurrat, quamvis certe, & ex revelatione sciat hostem nunquam esse occisurum. Alii alias vias inierunt ad conciliandum verum matrimonium Beatissimæ Virginis cum voto castitatis, de quibus fusius diximus in *Curso Theolog. disp. 2. de Justitia, & Jure quaest. 2.*; ubi ostendimus, posse dominium rei plenum, ac perfectum separari ab usufructu perpetuo: satis sit hic aliquid innuisse in obsequium Magnæ matris.

VII. Queritur tertio, Quomodo definiatur matrimonium?

Respondeo, matrimonium sumptum pro contractu (in quo sensu apud fideles est etiam Sacramentum) bene pot.

posse defini, quod sit *Legitimus*, & *indissolubilis contractus inter virum, & feminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas*: Dicitur, *Contractus legitimus*, quia celebrari debet juxta leges suas: Dicitur, *Indissolubilis*, quia non potest dissolvi, ut ceteri contractus per consensum mutuum contrahentium, ut infra ostendemus. Dicitur, *Inter virum, & feminam*, hoc est inter unum, & unam, repugnante polygamia ex institutione Christi Domini: Et quamvis in lege veteri potuisset idem vir habere plures uxores, non tamen eadem femina habere poterat plures maritos; quia proles esset incerta, & nemo maritorum teneretur illam educare. Dicitur demum, *Quo mutua potestas traditur, & acceptatur*; ut ostendatur forma hujus contractus, & hujus Sacramenti, quo gratia sanctificans fidelibus confertur.

Ex hoc contractu oritur obligatio servandi tria bona matrimonii, videlicet bonum Proles, Fidei, & Sacramenti; Datur enim obligatio servandi bonum proles, seu non vitandi prolem positive medio illicito, verbi gratia sumendo potionem sterilitatis, aut emittendo semen extra vas: Datur etiam obligatio servandi fidem, seu fidelitatem, hoc est non adulterandi: Datur demum obligatio servandi perpetuitatem, & indissolubilitatem Sacramenti, nisi alter ingrediat religionem ante consummationem.

VIII. Quæritur quarto; Quodnam matrimonium est Sacramentum?

Respondeo, & dico primo; Matrimonium sumptum pro vinculo non est, nec fuit unquam Sacramentum; cum non sit signum sensibile, nec suo usu gratiam conferat. Neque dicas, a Patribus tale vinculum vocari Sacramentum: Nam vocatur Sacramentum late sumptum, quatenus significat conjunctionem Christi cum Eccle-

sia, non vero quatenus est signum sensibile efficax gratiæ sanctificantis.

Dico secundo; Ante legem gratiæ matrimonium non erat Sacramentum antiquæ legis. Ita communiter Catholici; Trident. enim sess. 7. aperte docet esse Sacramentum proprium legis novæ: Quare in lege veteri non fuit institutum ad conferendam aliquam sanctificationem, sicut conferebant alia Sacramenta, sed institutum fuit in officium naturæ ad legitimam generis humani propagationem; Unde Adami conjugium dicitur Sacramentum late sumptum, quatenus significabat Christi cum Ecclesia conjunctionem.

Dico tertio; Sacramentum sumptum pro contractu maritali est verum, & proprium Sacramentum novæ legis. Ita Trid. sess. 24.

Neque dicas primo cum hæreticis: Multi conjuges christiani pejus vivunt, quam conjuges Infideles: ergo falsum est, quod matrimonium christianorum sit Sacramentum conferens gratiam: Nam contra est, quia sic etiam probaretur, quod nec Baptismus sit Sacramentum, eo quod multi baptizati pejus vivant, quam non baptizati. Quare Sacramenta dant gratiam bene dispositis, ut possint bene vivere, non tamen ad id cogunt.

Neque dicas secundo: Unum Sacramentum non pugnat cum alio; sed matrimonium pugnat cum Sacerdotio; ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo enim, Sacramenta hæc non pugnare ratione sui, cum possit conjugatus, uxore consentiente, ordinari; sed pugnant tantum ratione status, quem inducunt; Etenim Sacerdotes vacare debent Deo usquequaque: At ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *qui cum uxore est, sollicitus est, quasi mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

H He-

Neque dicas tertio; Matrimonium potest contrahi cum pacto, quod certum pretium solvatur: ergo matrimonium non est Sacramentum, aliter esset simonia accipere pretium pro illo.

Nam respondeo, pretium posse accipi non pro Sacramento, sed pro matrimonio, inquantum contractus civilis est, ad sustinenda onera Matrimonii; Sicuti pro calice consecrato potest accipi pecunia, non ratione consecrationis, sed ratione materiae.

Neque dicas quarto; Si matrimonium esset Sacramentum, Ecclesia nihil circa illud posset immutare, sed immutavit; nam fecit aliquos inhabiles ad contrahendum, instituendo impedimenta dirimentia, & statuit, matrimonium clandestinum esse invalidum; ergo non est Sacramentum.

Nam communiter Doctores respondent, Ecclesiam non posse immutare materiam, & formam Sacramentorum a Christo Domino institutam; unde non potest efficere, quin per legitimum contractum constituatur Sacramentum matrimonii: Potest tamen Ecclesia immutare leges contractus, ut de facto fecit, statuendo, contractum matrimonii clandestinum non esse legitimum; ex quo sequitur, quod non fit Sacramentum: Sicuti enim si Respublica statueret, quod non verbum, Baptizo, sed verbum, Amo, significaret ablutionem, forma Sacramenti Baptismi non esset, Ego te baptizo, sed esset, Ego te amo; nec per hoc fieret, quod Respublica immutaret formam Sacramenti Baptismi institutam a Christo Domino, quæ consistit in verbis significantibus ablutionem: Ita in casu nostro.

IX. Quæritur quinto; An possit inter baptizatos celebrari matrimonium sine Sacramento.

Respondeo negative. Ita Sanc. lib. 2. disput. 10., Con. disp. 24. contra

Vasq., Rebel., Hurt. disp. 3. diff. 19. Ratio est, quia Christus Dominus omnem contractum matrimoniale inter baptizatos elevavit ad rationem Sacramenti: Cum Florent., & Trid. absolute definiant contractum matrimoniale fidelium esse Sacramentum, nulla facta exceptione. Unde fit, quod qui absolute vellet contrahere matrimonium, & simul absolute nollet suscipere Sacramentum, vere matrimonium non contraheret; quia sine voluntate suscipiendi Sacramentum nequit Sacramentum suscipi, & consequenter nec matrimonium contrahitur: Quod si quis absolute vellet contrahere matrimonium, sed nollet suscipere Sacramentum, eo quod putaret, separari posse contractum matrimoniale a Sacramento; in tali casu & matrimonium contraheret, & Sacramentum susciperet, eo quod nolito suscipiendi Sacramentum fit conditionata, & inefficax; volitio vero contrahendi matrimonium fit absoluta, & efficax: Quod fuse explicavimus in de Sacram. in genere art. 4. num. 9. ubi de intentionibus contrariis in Ministro Sacramentorum.

Oppones cum Perez disp. 19. sect. 10. Etiam ablutio cum sua forma constituit Sacramentum baptismi, nulla facta exceptione, & tamen si sine intentione suscipiendi baptismum adultus abluatur, ita abluatur, ut non suscipiat Sacramentum; ergo etiam in casu nostro, si fiat contractus sine intentione suscipiendi Sacramentum, vere contractus celebratur, cum nihil illi deficit, & tamen non suscipitur Sacramentum.

Respondeo negando, quod in tali casu contractus sit validus; etenim sublata intentione suscipiendi Sacramentum, tollitur consequenter intentio faciendi contractum, cum hic ex institutione Christi debeat esse Sacramentum; Unde fit, ut matrimonium sit

fit nullum, five absit intentio faciendi contractum, five absit intentio suscipiendi Sacramentum.

X. Ex dictis sequitur contra Canum, Victor., Cajet., & alios apud eundem Perez, matrimonium per Procuratorem, aut per literas contractum esse verum Sacramentum, quod tamen a principalibus contrahentibus, non a Procuratore suscipitur. Ratio est manifesta, quia omnis contractus matrimonialis baptizatorum ex institutione Christi est Sacramentum; sed matrimonium per Procuratorem, five per literas, aut internuncium celebratum est verus, & legitimus contractus; ergo est etiam Sacramentum: Unde sequitur, quod contrahentes principales sub mortali teneantur curare, ut sint in gratia, dum Procuratores eorum nomine contrahunt, ne sacrilege Sacramentum suscipiant: Et quamvis tunc forte dormiant, adhuc dormientes suscipere possunt Sacramentum, quod ante petierunt; ut certum est de Sacramento Extremae unctionis, quod etiam a dormientibus, & lethargo oppressis suscipi potest. Nec refert, quod Sacramentum constare debeat rebus, & verbis; Nam, ut dicemus quæst. 4. art. 1., ad Sacramentum matrimonii constituendum satis sunt signa sensibilia expressiva interni consensus; hæc autem signa sufficienter per Procuratores, tamquam per instrumenta Principalem possunt exprimi in hoc Sacramentum, utpote instituto per modum contractus.

Neque dicas primo. Reliqua Sacramenta non possunt conferri inter absentes; ergo neque Sacramentum matrimonii; atque adeo, quando per Procuratorem celebratur, non est Sacramentum.

Nego enim consequentiam; Disparitas est, quia solum matrimonii Sacramentum institutum est per modum

contractus, qui licite celebratur inter absentes per Procuratorem. Neque hinc fit, quod Sacramentum Penitentiae institutum per modum iudicii possit etiam absenti conferri. Nam Christus Dominus voluit in hoc Sacramentum presentiam Rei; non enim per formulam, Absolvo te, significari potest, & demonstrari, nisi homo presens.

Neque dicas secundo: Si matrimonium per Procuratorem celebratum esset Sacramentum, non daretur ratio, quare deinde contractus renovaretur in presentia contrahentium; esset enim repetitio Sacramenti sacrilega; sed renovatur; ergo non est Sacramentum. Negatur enim sequela. Nam cum quilibet contractus ex natura sua sit renovabilis, & Sacramentum matrimonii sequatur leges contractus; hinc renovari potest non quidem Sacramentum, sed contractus: Et laudabiliter renovatur in presentia contrahentium matrimonium per Procuratorem celebratum, tum ad tollendos scrupulos; tum etiam, ut suppleantur solemnitates omiffæ; tum demum, ut si forte fuerit invalidus prior contractus ex defectu consensus, fiat validus per secundum, & Sacramentum recipiatur: Quod tamen fieri non potest in reliquis Sacramentis non institutis per modum contractus, ut notat Sanch. apud Bonac. quæst. 2. punct. 5. Potest quidem circa eadem peccata remissa Sacramentum penitentiae renovari, ut diximus in de penitentia, & constat ex usu fidelium; non potest tamen Sacramentum matrimonii, renovato contractu, renovari; cum sit relate ad eundem conjugem irreiterabile; Sicut in eodem morbo irreiterabilis est Extrema unctio ex institutione Christi Domini.

XI. Quæritur sexto; Utrum Sacramentum matrimonii sit unum numero in utroque conjugè, an vero duplex?

H. 2. Re.

Respondeo, esse unum numero. Ratio est, quia ipse contractus est elevatus ad rationem Sacramenti; sed contractus est unus numero inter duos: ergo etiam Sacramentum. Nec mirum esse debet, quod unum accidens morale sit in duobus; Nam una numero potestas eligendi Pontificem, verbi gratia, est in toto Collegio Cardinalium.

Ex hac doctrina, quæ communiter admittitur, infert Sanch. lib. 2. disp. 8., Con., & Perez, quod si Christianus ex dispensatione Pontificis contrahat matrimonium cum non baptizata, neuter Sacramentum recipiat; cum enim altera pars sit incapax Sacramenti, & hoc Sacramentum non possit esse nisi unum numero in duobus, videtur sequi, quod neuter Sacramentum recipiat. Sed magis aridet opinio Bonac. quæst. 2. punct. 2., qui cum Sot., & Vasq. docet, quod Sacramentum matrimonii in eo sensu dicatur unum numero in duobus, in quo sensu omnes ordines dicuntur esse unum numero Sacramentum, videlicet unum adæquatum; Sicut etiam species panis, & vini sunt unum numero adæquatum Sacramentum Eucharistiæ. Ex quo fit, quod, si contrahat matrimonium baptizatus cum non baptizata, possit solus baptizatus suscipere Sacramentum. Et sane videtur benignitati Christi Domini consonum, quod ita Sacramentum hoc instituerit, ut noluerit privare talem baptizatum gratia hujus Sacramenti; quamvis potuisset aliter illud instituire, ita ut neuter in hoc casu Sacramentum susciperet.

Neque hinc sequitur, quod si duo fideles contrahant matrimonium, & alter intendat suscipere Sacramentum, alter vero non, ille tantum Sacramentum suscipiat; Nam, ut notat Con., in hoc alio casu neuter suscipit Sacramentum, quia non habetur con-

tractus constitutivus Sacramenti: Et enim, ut supra diximus, fidelis, qui absolute non vult suscipere hoc Sacramentum, absolute non vult contrahere; contractus autem non habetur, quando alter non vult contrahere, atque adeo nec Sacramentum.

XII. Quæritur septimo; An si duo conjuges infideles, uterque, vel alteruter baptizetur, quando deinde per signa externa ratificant contractum matrimonialem, tunc suscipiant Sacramentum matrimonii?

Respondeo affirmative; Consonum enim est benignitati Christi Domini, quod ita hoc Sacramentum instituerit, ut ad illud constituendum satis sit quilibet contractus matrimonialis inter baptizatos, sive talis contractus primo ponatur post baptismum, sive contractus primo positus ante baptismum deinde post baptismum renovetur: Aliter conjuges infideles ad Baptismum reducti deberent semper carere gratia hujus Sacramenti. Ita Bonac., Bellarm., Henr. contra Perez, Con., Ledesm. Verum Sanch. putat, matrimonium istorum tunc effici Sacramentum, quando suscipiunt Baptismum, etiam si per signa externa non renovent priorem contractum matrimonialem; quia sicut per baptismum fit indissolubile matrimonium Infidelium, ita fit Sacramentum.

Notandum hic ex Bonac., quod conjuges infideles, quando suscipiunt baptismum, non debeant consensum matrimonialem renovare coram Parocho, & testibus, ut matrimonium fiat Sacramentum. Ratio est, quia Trid. requirit assistentiam Parochi, & testium ad valide contrahendum matrimonium; Cum autem in casu nostro supponatur jam valide contractum fuisse matrimonium ante Baptismum, ut renovatio talis consensus evadat Sacramentum, non est opus, ut fiat coram Parocho, & testibus.

XIII. Quæritur ultimo; Quænam sit materia, forma, & minister hujus Sacramenti?

Respondeo, quod attinet ad ministrum, putasse Canum lib. 9. cap. 5., quod iste sit Sacerdos dicens: Ego vos conjungo in matrimonium; ita ut hæc verba sint etiam forma talis Sacramenti; Sed communiter tamquam improbabilis rejicitur hæc sententia; Nam Trident. sess. 24. expresse docet, etiam matrimonia clandestina sine Sacerdote celebrata fuisse olim vera, ac rata matrimonia, atque adeo habuisse rationem Sacramenti; siquidem juxta locutionem ejusdem Trident., & juxta sensum Ecclesiæ, idem est, matrimonium esse ratum, ac esse Sacramentum. Quare Sacerdos non requiritur ad Sacramentum ministrandum, sed ad certam cæremoniam Ecclesiæ; nec conjuges per Sacerdotem, sed per mutuum consensum conjunguntur: Unde verba illa, Ego vos conjungo, idem sonant, ac Ego vos declaro conjunctos; Quod ex eo etiam patet; quia in communissima sententia, quando matrimonium est invalidum ex aliquo impedimento dirimente, vel ex defectu consensus, ut fiat validus, factis est, si tollatur impedimentum, ac suppleantur defectus renovato consensu, etiamsi tunc non assistat Parochus; quod fieri non posset, si Minister Sacramenti esset Sacerdos, cum sine Ministro Sacramentum conferri non possit.

Nec requiritur Sacerdos, ut Sacramentum conferatur a Persona Sacra. Nam sicut Baptismus etiam a laico, & infideli potest valide conferri; ita potest etiam a Persona non sacra conferri Sacramentum Matrimonii. Certum itaque est, ipsos contrahentes baptizatos esse Ministros hujus Sacramenti. Ratio est, quia hoc Sacramentum ex institutione Christi non distinguitur a contractu: ergo si contrahentes po-

nunt constitutiva contractus, ponunt etiam constitutiva Sacramenti, atque adeo sunt Ministri.

Hinc multi recte cum Hurt., Pont., Perez inferunt, quod contrahentes matrimonium in mortali duplex peccatum committant, alterum, in quantum indigne ministrant, alterum, in quantum indigne suscipiunt Sacramentum. Quod tamen non admittit Sanchez, lib. 2. disp. 2., & alii putantes, solum Ministrum consecratum peccare mortaliter ministrando indigne Sacramentum; ut est Sacerdos absolvens. Sed immerito: quilibet enim Minister Sacramentorum, sive consecratus, sive non consecratus debet ex præcepto naturali conformari cum Deo auctore Sacramentorum, ac Sanctificationis, necnon cum ipsa Sacramentorum sanctitate, debetque sancte sancta tractare. Concedo autem, quod Sacerdos non peccet mortaliter, si cum peccato mortali assistat matrimonio, cum ipse nec ministret, nec recipiat Sacramentum.

Quod attinet ad materiam, & formam hujus Sacramenti; Neque placet primo sententia adducta Cani putantis, verba contrahentium esse materiam, & verba Sacerdotis esse formam; Neque secundo Navar., & Sylv. apud Con., quod internus consensus contrahentium sit materia, & verba sint forma; Nam materia Sacramentorum non potest esse adæquate insensibilis; quandoquidem ex illa simul cum forma constitui debet signum sensibile adæquatum. Neque tertio Majoris, quod verba sint materia, & internus consensus forma, propter eandem rationem. Neque quarto Victor., & Vega, quod verba ab uno prius prolata sint materia, & verba alterius sint forma. Nam si simul ea proferrentur, non daretur materia, & forma. Neque demum Sot., & Covar., quod corpora con-

tra-

trahentium sint materia, & verba sint forma. Nam Sacramentum matrimonii esset quid permanens, sicut Sacramentum Eucharistia. Adde, quod contractus matrimonii non distinguitur a Sacramento, posita institutione Christi Domini; contractus autem non constituitur per corpora, sicut nec emptio equi, exempli gratia, constituitur per equum emptum, sed per mutuum consensum, qui pariat obligationem: ergo nec Sacramentum constituitur per corpora. Quare corpora conjugum in hoc Sacramento sunt solum materia, circa quam, & remota, non proxima; sicut peccata in Sacramento Poenitentiae sunt materia remota, non proxima.

Dicendum itaque cum Suar., Sanch., Rebel., Con., & aliis communiter, hujus Sacramenti materiam esse utriusque conjugis consensum signis externis expressum, prout significantem mutuum corporum traditionem; formam vero esse eundem consensum, prout significantem mutuum corporum acceptationem. Ratio est, quia omnis promissio, vel traditio, donec acceptetur, est ex se inefficax, & indeterminata, ut rata potius sit, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad producendam obligationem: ergo in contractu matrimoniali traditio habet rationem determinabilis, seu materiae; acceptio vero dominii in corpora habet rationem determinativi, seu formae.

ARTICULUS II.

De Institutione Matrimonii.

- I. Ex lege positiva divina videtur institutum Matrimonium, in quantum est contractus.
- II. Praeceptum nubendi videtur esse naturale, & obligare omnes vage,

hoc est singulos urgente necessitate.

III. Quem finem intendere debent contrahentes, ut valide, ac licite contrahant?

IV. Quamvis licite intendi possit per matrimonium remedium concupiscentiae, & propter fines extrinsecos honestos celebrari; illicitum tamen est praecise propter delectationem carnalem velle nubere.

V. Sicut non est licitum, nec vacat veniali culpa opus conjugii ob solum voluptatem exercere; ita pariter est illicitum praecise propter eandem velle nubere.

VI. Ex traditione Apostolica habetur, quod Christus Dominus matrimonium ad rationem Sacramenti elevaverit.

VII. Probabilius hoc Sacramentum a Christo Domino post resurrectionem institutum fuit.

I. **A**gendum primo de institutione matrimonii, quatenus contractus est; Deinde quatenus est Sacramentum; Inquirendo Quisquam illud instituerit? Quando? Et quem ad finem?

Quaeritur itaque primo, A quonam fuerit institutum matrimonium in ratione contractus, & quando?

Respondeo, certum omnino esse, quod Deus fuerit matrimonii Institutor; quamvis dubium sit, Num fuerit ejus Institutor, in quantum est Auctor naturae, an vero ex positiva aliqua ordinatione? Equidem censescum Suar., Con., Perez, & aliis contra Hurt. disp. 4., Deum per veram, ac propriam legem instituisse matrimonium; ejus vero unitatem, & indissolubilitatem esse quidem naturae humanae consonam; non tamen ita ut non potuerit in iis Deus dispensare. Ratio est, quia antiqui Patres licite contraxerunt unus cum pluribus uxoribus; Et Hebraeis licitum fuit reple-